

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile frei lassen!

Cicero verteidigt seinen Mandanten Caelius gegen den Vorwurf unsittlichen Lebenswandels.

At vero in M. Caelio – dicam enim iam confidentius de studiis eius honestis, quoniam audeo
quaedam fretus vestra sapientia libere confiteri – nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum
aes alienum, nulla conviviorum libido. Quod quidem vitium ventris et gurgitis¹ non modo non
minuit aetas hominibus, sed etiam auget. Amores autem et hae deliciae quae vocantur, quae
5 firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse – mature enim et celeriter deflorescunt
– numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Audistis, cum pro se diceret², audistis
antea³, cum accusaret – defendendi haec causa, non gloriandi eloquor. Genus orationis,
facultatem, copiam sententiarum atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis. Atque
in eo non solum ingenium elucere eius videbatis, quod saepe, etiamsi industria non alitur, valet
10 tamen ipsum suis viribus; sed inerat, nisi me propter benevolentiam forte fallebat, ratio et bonis
artibus instituta et cura et vigiliis elaborata. Atqui scitote, iudices, eas cupiditates, quae
obiciuntur Caelio, atque haec studia, de quibus dispuo, non facile in eodem homine esse posse.
Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia,
inopia etiam nonnumquam impeditus hoc, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo,
15 verum etiam cogitando possit sustinere. An vos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis
praemiis eloquentiae, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore tam sint
pauci semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? Obterenda sunt omnes voluptates,
relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, convivium, sermo paene est familiarium
deserendus. Quare in hoc genere labor offendit homines a studioque deterret, non quo aut
20 ingenia deficiant aut doctrina puerilis.

1 gurses: *hier* Gurgel **2** cum pro se diceret: *Caelius hielt in dem gegenwärtigen Prozess eine Verteidigungsrede in eigener Sache.* **3** antea: *Gemeint ist ein früherer Prozess.*